



ADDENDA.

Pag. 113. ante Exorbitationem sextam.

XIX. Interim tamen hic idem Erasmus, et si hic cum autore nostro, sed in alia causa, delirariit: in hac praesenti ipsius causa eum melius informare, & ab impiis hoc Cartesii errore liberare posset, si modo Cartesii Scholâ relictâ, & doctorali supercilio deposito, Catecheticam ipsius Scholam adire dignaretur, & audire & considerare, quomodo ille Catechista ibi Catechumenum doceat primum elementum fidei ac religionis Christianæ. Cum enim ibi, *Catechesi prima*, dixisset *Catechumenus*. Mirè afficit ac sollicitat animum meum ineffabilis illa pulchritudo domus Dei. Sed quâ, rogo, in illam patet aditus? Respondet *Catechista*. Qui vult ingredi donum, petit januam. *Catechum*. Ostende januam. *Catechista*. Eam ostendit cœlestis ille Doctor Paulus. Accedentem, inquit, ad Deum oportet credere. Fidei ostium est humile quidem illud; sed ingresso ostendit inenarrabilem majestatem Dei divinæ potentiarum, sapientiarum ac bonitatis. Submitte igitur caput, ut introire merearis. *Catechum*. Quid est istud, quod dicis? *Catechista*. Depone sensum carnis & humanæ rationis agutias, ut simpliciter certòque credas, quicquid nobis ad salutem tradit divina autoritas; etiam si humano sensui videatur falsum, frivolum, absurdum aut impossibile. *Fallit humana ratiocinatio*, fallunt ipsis corporis sensus. Solus Deus tam non potest falli aut fallere, quam non potest non esse Deus.

XX. Hæc bene ibi Erasmus; quæ & Autorem exorbitantem ad veritatis orbitam possent reducere. A qua ipse tamen postea, *Catechesi tertia*, de conceptione Christi agens deflectit, dum per virtutem altissimi *Luce 1. 35.* intelligit Filium, qui propriè carnem assumuit, ait que porrò illic adfuisse pro marito Patrem cœlestem, qui quodammodo iterum gignat Filium suum. Non satis religiosè aut piè! Cum in ejusmodi mysteriis frenanda sit omnis ingenii lingua & calami licentia, nec septa phrasium aut conceptuum Spiritus Sancti in Scripturis vel paulum transsilienda. Nec etiā satis consequenter appositiè aut verè! Cum Pater, mediatè per Spiritum Sanctum, hanc supernaturalem humanæ Christi naturæ, in utero B. Virginis, conceptionem efficerit. Et cum ipse Pater in Filio & per Filium, & uterque per Spiritum Sanctum eam effecerit; Filius ipse majori ratione ibi pro marito matri suæ adfuisse &